

Wd. 33.

13

Q. D. B. V.
RECTORE ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPE HEREDE AC DVCE MECLENBURGI,
PRINCIPE VANDALORVM, SVERINI AC RACEBURGI, COMITE SVERINI,
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE DOMINO,
DOMINO LONGE CLEMENTISSIMO.

AGNETIS AVGVSTAE
HENRICI III. IMPERATORIS CONIVGIS,
HISTORIA,

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI
PRAESIDE
ANGELIO IO. DAN. AEPINO

ORATOR. PROF. DVC. P. O.
IPSIS IDIBVS APRILIS
A. R. S. CIICCLIII.
PVBLICE PROPOSITA

A B
ERNESTO CHRISTIANO FRIDERICO A THOMSTORFF,
NOB. MECLENBURG.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

VIRIS
MITATIONIBUS AVTA
PERILLVSTRBVS ATQVE GENEROSISSIMIS.

D O M I N O
AVTADAM
ERNESTO HENRICO,

HEREDITARIO IN RIDSENOW ET POLCHOW,

D O M I N O
CHRISTIANO WILHELMO,

HEREDITARIO IN CRESSIN ET GOERZIG,

D O M I N O
FRIDERICO CHRISTOPHORO,

HEREDITARIO IN GOERZIG,

F R A T R I B U S
L. B. A W E N D H A V S E N ,

DOMINIS, AVVNCVLIS ATQVE PATRONIS

SVIS GRATIOSISSIMIS

SALVTEM ATQVE FELICITATEM

PERCATVR

ACADEMICVM HOC SPECIMEN

DEVOTISSIMA MENTE

ERNESTVS CHRISTIANVS FRIDERICVS
A THOMSTORFF.



PRAEFATIO.

Qui res in imperio R. G. medii aevi tempore gestas noverunt, alia inter singulare istud omnino comprehendunt, quod totius reipublicae administratio mulierib[us] aliquando directioni subjecta fuerit, dum imperatorum minorennum tutelam, non sola filiorum educatione absolutam, augustae eorum matres gesserunt, neque id imperii detrimento cessisse, historia loquitur. Licet vero recentiora tempora, post constituta per A. B. vicariorum imperii, firmataque iura, tale quid amplius haud ferant, neque adeo ex accuratori tutelarum eiusmodi consideratione hodie quidquam hauriri possit, quod iuri publico illustrando explicandoque serviat; non tamen omni penitus vel utilitate vel iucunditate carere iudicamus, si vetustiora illa huius rei exempla latius paulo exposta pateant, quo ita quis ipsis temporibus rerum statutis fuerit, numque imperii iura iacturam quandam inde passa sint, constet eluceatque,

Illustre

Illustre prae aliis alterum illud est Agnetis, Henrici IV. matris atque totius vasti imperii administratoris, exemplum, quod quippe vel propterea maiori dignum est attentione, quia de Pontificis romani electione, Imperatorisque in eam iure, isto tempore magna dissensio orta fuit, acrisque agitata disputatio, quae Henrico IV. molestias creans gravissimas, ipsum tandem imperium mire devastavit.

Et haec praecipua ratio fuit, quare ex historia imperii quaedam litteris consignaturi, istum prae aliis sumsimus locum, quem diligentius scrutaremur, quareque omnem imperatricis vitam latius paulo exposuimus. Nil equidem haec commentatio novi lectori monstrabit aut inauditi; neque enim tale quid historicarum rerum pertractatio patitur. Id tamen affirmare audemus, nil quidquam sine testimonio dignorum fide virorum nos proposuisse, atque quantum id quidem licuit, in eo diligentiam nostram collocasse, ut quidquid dispersum de Agneta eiusque invenitur vita, in unum quasi corpus congestum, lectori exhiberemus, ipsius benevolo faventique iudicio nos nostrosque commendantes conatus.





§. I.


 Agnetis Augustae historiam scripturi, quo genere sata sit quibusque ex natalibus originem ducat, non immerito dispiciendum venit. Ex illustribus Aquitaniae Ducibus atque Pictavorum comitibus sanguinem eam duxisse, perpetua Historiorum fide affirmatur. Nolumus vero a remotis inde majoribus ortum ejus derivare, quorum catalogum qui cupit, in scriptoribus, illustris hujus familiae genealogiam exponentibus, videat. (1) Patrem ejus Wilhelnum vere quidem, ast cum cognomines plurimi Pictavienses extiterint, parum accurate nominant. Matris vero nomen vix apud quenquam Germanicarum rerum scriptorem invenies expressum. Ex Burgundica potentissima familia eandem, quam ALDOMALDAM, HENNINGIVS (2) sine tamen teste vocat, progenitam fuisse, atque illustrissimas Italiae Burgundiaeque familias cognitione attigisse, affirmatur. Patris vero, qui III. Cal. Febr. A. mxxx. obiit, tanta iis temporibus gloria fuit autoritasque, ut Magni elogio hic, inter Wilhelmos Pictavienses quintus, ab omnibus mactaretur.

A

Neque



Neque id sine merito. Ea quippe per Burgundiam ejus erat potentia, atque apud Italos gloria, ut hi post Henrici II. mortem Conradum Regem Rom. spernentes, regnum ipsi offerre nulli dubitarent. (3) Atque haec tanta parentum autoritas, tam splendidum genus, tantus amplissimae familiae valor ipsi Agneti non parum dignitatis ac venerationis conciliarunt.

- 1) Qualis est: Jean BESLY *histoire des Comtes de Poitou et des Ducs de Guienne à Paris* 1647. f. cura Petri Pithei edita.
- 2) In THEATRO GENEALOGICO, Regni II et III in quarta Monarchia parte altera p. 47.
- 3) vid. BESLY l. c. p. 332, 336. Jll. MASCOVIVS Comment. de Rebus Imperii Rom. Germ. a Conr. ad Henr. III p. 166.

§. II.

Nempe illustri adeo stirpe sata progenitaque Agnes, praecipue merebatur, quae principis amplexibus cederet, ut potentia, sic autoritate reliquos facile superantis, Atque suo jure is censendus est Henricus III. Romanorum Imperator, qui, ab anno MXXXVIII. quo conjux ejus Augusta Gunilda, post Cunigunda dicta, ex regia Anglo-Danica stirpe oriunda, e vivis excesserat, viduus, quem tandem solitudinis erat pertaefsum, ad secundas jam nuptias transiturus, neglecta Russorum principe in matrimonium ipsi oblata, (1) Agnetis hujus consortium expetebat. Quo ut felicius potiretur voto suo, illustri ad Agnetis fratrem Wilhelmum VII. Aquitaniae Ducem et Pictaviensem Comitem legatione instructa, (2) anno MXLIII Calend. Novembris (3) conjugem eam deducebat. Ipse Imperator Augustam sponsam regali excepturus solennitate, obviam eidem procedebat, Vesontione sibi despousatam (4) Mo-

guna-

guntiam comitabatur, ubi ungi illam reginamque salutari jubebat. In gelheimium inde regalem villam cum splendido comitatu veniens, imperatorio apparatu nuptias celebrabat, (5) ex magna Episcoporum, Ducum, Dynastarumque frequentia augustiores. (6) Confluxerant eo ex istorum temporum more histriorum balatronumque, spectaculis suis praesentes illusororum, turbae, quos vero Henricus vacuos omnes dimisit, largeque quam illis subtraxerat pecuniam, pauperibus distribui fecit, non mediocri propterea pietatis liberalitatisque laude affectus. (7)

- 1) Lubet rem omnem verbis *Lamberti Schaffnaburgensis ex PISTORII Script.* Germ. Tom. I. p. 159 enarrare. Ita vero is ad annum 1043. *Rex incarnationem Domini' Goslariae celebravit -- Ibi inter diversarum provinciarum legatos, legati Russorum tristiter redierunt, quia de filia regis sui, quam regi Henrico nupturam speraverant, certum repudium reportabant.*
- 2) Meminit ejusdem AVENTINVS *Annal. Bojorum* scribens: *Imperator quinquageneribus Wurzburgum se confert, Brunonense urbis Episcopum, cognatum suum, cum viris et foeminis ad Wilhelmum Narbonensis provinciae praefectum legat, ejus filiam Hagnam uxorem sibi expicit.* vid. L. V. p. 318 ed. Bafil. 1615. In eo tamen fallitur Aventinus quod legationem istam ad Agnetis patrem, iam Anno MXXX defunctum, missam scribit. Processit ista ad fratrem Augustae sponsae Wilhelmum VII. tunc Aquitaniam regentem. Hinc recte Otto Frisingens. Chron. Lib. VI. Cap. XXXII. sororem Ducis Guilhelmi uxorem accepisse Henricum, ponit, vid. URSTI- SIVS Tom. I. p. 135
- 3) Ita *Hermannus Contractus*, coaevus in VRSTISII Script. Germ. Tom. I. p. 324 ed. Francof. *Chronica Augstenfis* in FREHERI Scr. Germ. Tom. I. ad h. a. *Monachus Hamerslebienfis* in MADERI Antiq. Brunsw. p. 142 *Lambertus Schaffnaburgensis* in PISTORII Scr. Germ. Tom. I. ad h. a. et ex re-



centioribus accuratiores, ut CAROLVS SIGONIUS, *Hist. Italiae* L. VIII, aliique. H. MVTIVS in *Chron. germ.* apud PISTORIVM Tom. II. p. 113. tertium Imperii Henrici annum ponit, quem millefimum quadragesimum tertium propterea ponendum esse ducimus, quod plerumque initium regiminis Henrici, licet non adeo accurate, in annum XL. ponant scriptores. Vid. OTTO FRISINGENSIS in VRSTISII Tom. I. pag. 134. GOTTFRIDVS VITERBIENSIS in PISTORII Tom. II. p. 491. Non vero in designando hoc nuptiali anno omnes conspirant. Annum XLIV, ponunt ex ABBATE VRSERGENSI LEHMANNVS in *Chr. Spirensi* Lib. V. Cap. 21. MARIANVS SCOTVS in PISTORII Tom. I. p. 451. CHRONICON CITIZENSE ibid p. 773. ANNALES HILDESHEIMENSES in LEIBNITII *Scriptor. Brunsv. et Lüneb.* Tom. I. p. 730. Annum sequentem XLV indicat GLABER RVDOLPHVS in PITHOEI *Historiae Franc. Script.* pag. 55. Longius a vero aberrant qui serius celebraffe haec sacra Henricum perhibent, ut HEPIDANNVS in GOLDASTI *Script. rerum Alamannicarum* Tom. I. p. 17. , qui annum XLIX. ponit, quippe iam A. XLV. Agnes marito filiam peperit, de qua infra.

- 4) GLABER RUDOLPHUS I. c, *Henricus Filius Conradi, Rex Saxonum jam in re, Romanorum vero Imperator in spe*, duxit uxorem filiam *Wilhelmi Piætavorum Duci*, nomine Agneten, quam etiam despontavit in civitate Chrysopolitana, quæ vulgo Vesuntio vocatur. AVENTINUS I. c. L. V. p. 319. Hisce confectis Cæsar - - Constantia conventum ecclesiasticum agit - - inde Vesontionem urbem Burgundia, Sequanorumque petit, sponsæ obviam procedit.
- 5) HERMANNUS CONTRACTUS in URSTISII Tom. I. p. 324. Agnetem *Wilhelmi Piætavienfis Principis filiam reginam* apud Mogunciam urbem ungi faciens, regalibus sibi nuptiis apud Ingelenhiū villam regalem copulavit, Quæ reperit MARIANUS SCOTUS ad annum 1044. in PISTORII Tom. I. p. 450. CHRON. CITIZENSE ibid. pag. 773. LAMBERTUS SCHAFF-



SCHAFFNABURGENSIS ibid. p. 160. nuptias celebravit in Ingelheim, in conjunctione Agnetis, filiae Wilhelmi comitis Piataviensis. AVENTINUS Annal. Bojor L. V. p.m. 319. Eam Moguntiacum deducit, ibi de ea superos consuli, reginamque appellari jubet. Deinde nuptias Ingelheim imperatoris apparatu facit.

- 6) GLABER RUDOLPHUS I. c. Illuc (Vesontionem) ob amoris ac benevolentia gratiam uriusque convenit maxima nobilium multitudine Episcoporum vero numeri viginti octo. AVENTINUS I. c. Interfuere frequentes Pontifices, episcopi, duces, tetrarchae, dynastae, cives Italiae, Germaniae, Galliae. Tristis vero latitiam hanc excepit casus, Luitpoldo vel Leopoldo Austriaco, juvene fortitudinis bellicae gloria praestante, spe votisque citius extincto, quod citati scriptores testantur.
- 7) OTTO FRISINGENSIS in URSTISII Tom. I. pag. 135. Cumque ex more regio nuptias Inglinheim celebraret, omne baltronum et bistrionum collegium, quod (ut assolet) eo confluxerat, vacuum abire permisit, pauperibusque ea quae membris diaboli subtraxerat, large distribuit. ANNALES HILDESHEIMENSES in LEIBNITII Tomo I. p. 730. Infinitam bistrionum et jaculatorum multitudinem sine cibo et muneribus vacuam et moerentem abire permisit. Quam sollicitum se hoc in negotio exhibuerit imperator, laudat JO. CRAWES Presbyter, in MADERI Antig. Bruns. p. 89. Infinitam jaculatorum multitudinem sine cibo et potu ac muneribus depulit vacuam manentem, et loco illorum misit undique cum litteris suis magnatibus pauperes, ut amore Dei et sui reverentia singuli darent pauperibus munera, quae in nuptiis dari solebant jaculatoribus, bistrionibus et vagis. HERMANNVS CONTRACIVS in VRST. SII Tom. I. pag. 324. Laudet Henrici cumulum inde accessisse testatur, et MVTIVS in PISTORII Tom. II. de hac Henrici pietate ita p. 113. Celebravit nuptias frugaliter, judicavit enim magis Dominum Deum actus suos matrimoniumque fortunatum, si impensas quas exigunt magnificas illae stultae mundi pompa, juberet in pauperes elargiri.

§. III.

6

Gratissimum hoc acceptissimumque Henrici III.
 fuisse conjugium, maxima illa, qua apud maritum valuit
 Agnes auctoritas, satis testatur superque. Non enim fa-
 cile is quidquam omisit, quo dignitatem ejus regiumque
 fastigium, vel condecorare vel amplificare licebat. Hinc
 cum Romae A. MXXXXVII. (1) ipso natali Salvatoris die
 a Clemente II. Papa recens electo constitutoque; (2) co-
 ronaretur, non solennitatis istius modo participem fieri
 conjugem volebat, verum ipsam magno apparatu subli-
 mari atque imperiali diadema cingi jubebat. (3) Ne-
 que admisit quidquam Imperator, neque impune tulit,
 quod vel ex obliquo tantum summae, quam postulabat,
 conjugis venerationi detraheret. Experti id sunt Bene-
 ventani qui matrem Augustae per oras ipsorum iter faci-
 entem debito haud excipientes cultu, iratum imperato-
 rem ac male eos multantem senserunt (4) Testantur prae-
 terea intensissimum illum in Agnetem amorem Augusti
 multa illa variaque, quae ipsa intercedente ecclesiis variis
 clericisque larga manu concessit beneficia, quibus salutem
 animae Agnetis suae beatamque ejus memoriam com-
 mendare studuit. (5) Et non parum illustre hujus, qua
 polluit Augusta apud maritum, autoritatis documentum
 est, quod ejus atque mariti precibus permotus Clemens II.
 S. WIBORADAM in beatorum numerum retulit. (6)

(1) Hunc annum habent CHRONICON CONSTANTIEN-
 SE editum a PISTORIO inter VI scriptores Rer. Germ.
 Francof. 1607 fol. p. 665 Acta Pontificum Rom. gente saxonum
 in LEIBNITZII script. Brunsv. Tom. I p. 577 CHRONI-
 CON AVSTRALE apud FREHERVM Tom. I p. 316, Sui-
 degerus Babengensis Episcopus in nativitate Domini Papa conse-
 cratur,



cratur, et Hainricus Rex et uxor ejus Agnes ipsa die imperiali benedictione sublimantur. CHRONICA AVGUSTENSIS. ibid. p. 346. NATALIS ALEXANDER Hist. Eccles. Tom. VI p. 618. Consentit CHRON. HALBERSTADENSE in LEIBNITZII Tom. II. p. 124 septimum regiminis Henrici III. annum ponens. Ponunt alii annum praecedentem, ut *incertus autor in gestis Imp. ab Henrico Aucupe ad Henr. V. ap. LEIBNITIVM I. c. p. 709. Annales Hildesheimenses* ibid. p. 731. MARIANVS SCOTVS in PISTORII Tom. I p. 451. HERMANNI CORNERI Chronicon in ECCARDI corp. hist. med. aevi Tom. II p. 586. BARONIVS Annal. Tom. XI p. 155.

- 2) Quantum tunc temporis ecclesiam turbaverit schisma, monstrum ingens horrendum triceps eandem efficiens, satis patet. Doluerunt vicem rerum sacrarum viri cordati, ex quibus Eremita quidam, qui regi a confessionibus erat, ad imperatorem scripsit: *Imperator Hinrice, omnipotentis vice, una Sunamitis, nupst tribus maritis, dissolute connubium, triforme dubium*, vid. Engelhusius in *Maderi Antiq. Brunfo*, pag. 45. Scilicet tres simuli Papae Petri solium occupabant, vel illud occupare contendebant, Benedictus IX., Sylvester III. et Gregorius VI. quos omnes in Sutrina Syndico exauferasse Hinricum, atque SVIDGERVM Episcopum Bambergensem, adscito Clementis II. nomine sacrae fidei praefixisse, communī fere ore scriptores narrant. vid. Aut. *incertus in Leibnitzii Tom. I. p. 709. Annal. Hildesheimens.* ibidem pag. 731. *Chron. Halberstadense* in ejusdem Tom. II. pag. 125. CORNERI CHRON. in ECCARDI Tom. II. p. 584. ubi sequentia: *Rōmae unus contra duos, et duo contra unum de papatu contenderunt. Sed Rex Romam veniens canonica et imperiali censura eos amovit et Svidegerum Babenbergensem Episcopum papam constituit. AMALRICVS AVGERIVS de BITERRIS in Historia PONTIF. ROM. in ECCARDI Tom. II. p. 1725. qvi vero Clementem II. ante pontificatum suscepimus Eugenium episcopum Lombarcensem nominat. Verum aliter rem exhibent Historiae ecclesiasticae scriptores: BARONIVS*



RONIVS *Annal.* Tom. XI ad annum 1046. et ex eo *Conciliorum omnium Collect.* regia parif. Tom. XXV p. 412. NATALIS ALEXANDER Tom. VI. p. 403. *sqq.* dudum ante prioribus duobus depositis, Gregorium VI. Concilio Sutriano praesedisse, atque se ipsum dignitate papali exuisse, sribentes.

- 3) HERMANNVS CONTRACTVS in PISTORII TOM. I. p. 139. *Clemens II* - - Henricum regem et conjugem ejus Agnetem imperiali benedictione sublimavit, peractisque Missarum solenniis ipsi dominus Papa et imperator cum Imperatrice ita ut erat coronatus ad Lateranense Palatium cum ingenti gloria provinciscuntur, cunctis civibus Romanis mirantibus honoremque singulis quibusque pro facultate obiter impendentibus. Add. Aventinus *Annal.* Bojor. Libro V. ad annum 1047. Singulare est, quod ENGELHVSIVS apud MADERVM p. 46 habet: *Idem Imperator subegit vindelicos populos suevis contiguos, eosque tributarios, ita facie ut diebus suae coronationis quatuor reges eorum lebetem, quo carnes condiebantur in humeris suis vestibus inductis ad coquinam veletarent.* Praecipue vero coronationis hujus actum solen nem reddidit illustre illud, quod iniit tunc Henricus cum Romanis pactum, praestito iuramento promittentibus, nunquam se sine imperatorum consensu papam fore electuros. Testantur id CORNERVS apud ECCARDVM Tom. II p. 585. SIGEB. GEMBLAC. ad a. 1046. in PISTORII Tom. I. AVENTINVS l. c. qui ita: *Imperator sacerdotes, flamines, senatum populumque Rom. nullum posthac pontif. max. capturos, nisi quem Cesares more majorum legerint, iurare adigit.* Testantur idem Annales Augstpurgenses in MENKENII script. Rer. german. Tom. I. p. 1394.
- 4) *Hermannus Contractus ad ann. 1047. AVENTINVS l. c. Be-neventanos, quod socrum suam a Gargano monte redeuntem, alter quam Augustae matrem tractarant, nempe cives tumultum concitarant, male mulcerat.*
- 5) *Testimonia vide Diplomata, quae exhibet HEINECCIVS ANTIQ.*



ANTIQ. GOSLAR. p. 44. 47. 49. 58. 61. 63. *Udalrici Codex Babenbergen sis in ECCARDI T. II. n. XCI. sqq.* Quin quantum apud maritum valuerit Agnes vel loquitur amplissima illa dos, Ecclesiae montis S. Petri apud Goslarienses ab ipsa constituta, cuius memoriam servat sigillum ecclesiae, memoratae Agnetis referens effigiem, quod aere expressum sistit idem HEINECCIVS I. c. Tab. I Fig. I.

- 6) Burckhardus Mon. S. Galli de Casibus Monasterii S. Galli in Alamannia in GOLDASTI Script. Germ. Tom. I. cap. VI. Not pertus Abbas obtinuit amminiculante Hinrico Imperatore et Coniuge eius Agnete, hoc apud Dominum Apostolicum Clementem secundum recitata vita b. Witboradæ ejusque miraculis et de tam diu neglecta re, ab ipso papa redargutus, quatenus ipsam praesence Theoderico constantiensi episcopo canonizaret et pro sancta baberi praecepere et anniversarium ipsius diei solennizandum insitueret.

§. IV.

At vero illustrissimum testimonium, quanti prudentiam conjugis fecerit, quantoque ejus amore captus fuerit, Henricus III, eodem humanis rebus excedente omnibus innotuit. Unicus ipsi A. MLVI (1) morienti masculus heres supererat, Henricus, A. ML. natus, quem in imperio successorem parens jam destinaverat (2). Imperatori itaque, vix sex annos nato, vastum Germaniac regnum cedebat, cuius gubernationem prudentiae animique roboris non parum requirere sapiens pater facile perspiciebat. Commendabat itaque filium matri, cuius virilem animum prudentiamque singularem per omnem expertus erat vitam (3) eaque tute non infeliciter res suas acturum filium, sibi persuadens. Neque haec spes eum defellit. Quamdiu namque matris sub gubernatione Henricus IV. puer imperium rexerit, neque antiquus illius

B

splendor,



splendor, neque Imperatoris autoritas, neque regni salus
jacturam fecere. Suscepit fortis animo negotium istud A-
GNES Ann. MLVI. (4) permittentibus imperii proce-
ribus (5) quorum quosdam, praesertim Augustensem E-
piscopum *Henricum*, in consilium diligenter adhibuit (6),
cui alii *Guibertum* Parmensem et *Conradum*, Nobilem Sue-
vum, jungunt (7).

- 1) Bothfeldii prope Goslariam, d. III. Non. Octobr. *vid. AN-*
NAL HILDESH. ad hunc annum in LEIBNITZII Tom. I.
p. 731. add. Bothonis Chron. pict. ad an 1056 in LEIBNI-
TII Tom. II pag. 326, LEUCKFELDI Antiq. Jlfeldenses.
pag. 220. 221.
- 2) Vix natum puerum parens proceribus imperii commendabat,
quem regem suum eligerent, quod ipsi ex voto cessit. Fa-
ctum id esse A. MLI. apud Goslariam circa natale salvatoris
festum, habet Herm. *Contr.* in VRSTISII Tom. I. p. m. 332.
Ad annum sequentem refert Lamb. Schaffnab. in PISTORII
Tom. I. p. m. 161. qui ita: *Imperator natalem Domini Pole-*
thae celebravit, ubi filio suo Hinrico adhuc catechumeno principes
regni sub iuramento fidem promittere fecit. Pascha celebravit Coloniae,
ubique praedictus puer ab Herimanno ejusdem civitatis archiepiscopo
baptizatus est. Post A. ML III. in conventu apud Triburi-
am habito, a cunctis eligi eundem fecit. Herm. *Contraetli* I.
c. p. 335. Tandem A. MLI. Aquisgrani ab Archiepis-
copo Colonensi in regem consecrari iussit. Lamb. Schaffnab.
in PISTORII Tom. I. p. 162.
- 3) Est hoc alterum tutelae muliebris in I. R. germ. exemplum,
cujus primum in Ottone III. qui aviae Adelheitis et matris
Theophaniae prudentia regebatur, exstitit.
- 4) Notissima illa scriptorum medii aevi incuria, et tempus, quo
tutelam hanc suscepit Imperatrix, et quo factum istud
modo sit, non omnibus dubiis exemit. Ponunt ann. MLVI.
Continuat. Hermanni *Contraetli* apud VRSTISIVM. Chron.
Halber-



xi

Halberstadense in LEIBNITII Tom. II. p. 125. Chron. S. Aegidii, ed. ab eodem Tom. III p. 584. Chron. Augustens. ed. a FREHERO. Lambertus Schaffnaburgens, alii. Et hi quidem recte, quod probant Hinrici diplomata. quorum unum habes in Chronica Mindensi, ed. a PISTORIO privil. XXI. dato A. MLVIII Anno autem Domini Hinrici quarti regis ordinationis IIII regni II. Alterum Adalberto Archiep. Hamburg. datum, editum a LINDENBROGIO in script. Sept. dato A. MLVII. Anno autem Domini Hinrici IV regis, ordinat III, regni I. Tertium, quod edidit HEINECCIVS Antiq. Goslar. p. 69 datum A. ML. XII. Anno autem ordinationis domini Henrici Regis quarti, VIII, regni vero VI. vitae XII, aliaque, cum quibus tamen diploma non consentire videtur illud, quod edidit a LVDEWIG Reliq. Mflorum T. IV. p. 240. Alii anno sequente demum Agnetem tutelam suscepisse perhibent, ut magnum Chron. Belgicum editum a PISTORIO, Otto Friisingens. Bertoldus continuator Hermanni Contracti. Cbron. Austral. ed. a Frehero. Chronic. Citizenense ed. a Pistorio, alii.

- 5) Neque qua ratione, quoque titulo tutelam suscepit Agnes, satis Historicorum fide constat. Procerum consensu eam gessisse matrem, Bruno de Bello saxonico, editus a FREHERO tradit, verbis : *Quod (regnum) cum adhuc decenter (Henricus) iupote puerulus quinquennis gubernare non potuit, ipsum eum regni causa curandum, cunctorum jussu principum, mater ipsius Agnes, venerabilis Imperatrix, accepit.* In solemni vel Bothfeldiae vel Spirae habito conventu idem factum esse, sine tamen teste vult Schubartus Diff. de Henrico IV. turbatae Reipubl. exemplo. Continuator Herm. Contracti editus ab VRESTISIO ita : *filius ejus Henricus IV. septimum aetatis annum habens pro eo regni jura suscipiens, a primoribus matri imperatrice educandus est commendatus, add. HERM. CORNERI Chronic. in ECCARDI Tom. II. p. 593. Chron. Magdeburgense in Meibomii Tom. II. p. 288. AVENTINVS Annal Bojorum L.V. nescio tamen quo autore, ex testamento tutelam gessisse. Agnetem scribit : Summa rerum tutelaque Caesaris penes Augustam mulierem cordatam, ex testamento mansit,*

B 2

6) Lam.

- 6) Lambertus Schaffnaburg ad ann. 1062. *Imperatrix nutrit
ens adhuc filium suum, regni negotia per se ipsam curabat, utela-
turque plurimum consilio Henrici Augustensis Episcopi. Conti-
nuator Herm. Contracti ad. ann. 1057. Eodem tempore Hinri-
cus Augustensis Episcopus apud imperatricem summum consilii lo-
cum habuit, quod nonnullis regni principibus, ejus insolentiam nor-
ferentibus, multum displicuit. Add. HEINECII Antiq. Goslar,
p. 47. chron. Laurishamense ed. a FREHERO T. I. Henricus
III. Imperator vita excedens reliquit filium parvulum cognominem
sui, Imperatrice Agnete loco filii cum ceteris optimatibus regni
curam administrante.*
- 7) JOSEPHVS BARRE. *Geschichte von Deutschland*, Tom. II.
pag. 820.

§. V.

Digna est, quam gessit Agnes, administratio, quae paulo accuratius enarretur, cum variis pro imperii salute libertateque susceptis facinoribus praeluceat. Faciamus huius rei periculum. Vix regnare cooperat Augusta, cum Saxones teneram imperatoris aetatem sibi faventem iudicantes, imperium Henrico matrique subtrahere conarentur. Timens inde filio periculum, imperatrix Merseburgum A. MLVII. conventum principum conscripsit, infaustas illas hostium machinationes sedatura. Accedebat Otto Saxo, hostium princeps, qui tamen in ipso cum exercitu itinere, a cognatis Imperatoris eodem tendentibus, praelio vietus perit. (1) Sedatis vix turbis istis, nova imminebant imperio mala, Bertholdo Zaringiae comite, Sveviae ducatum ab Imperatore Henrico III. sibi promisum post Ottonis obitum poscente, quem Agnes una cum Matilda filia Rudolphi Rheinfeldiae comiti, tradiderat. Verum et hos superabat scopulos, Bertholdo Carinthiae ducatum paulo post concedendo (2).

(1) Me.

- 1) Meminunt harum turbarum *Chronica Augustens.* edita a FRE-
HERO ad ann. MLVII. ita : Multorum factiones contra Im-
peratoris Filium exortae, divinitus sedantur vid. Jll. MASCO-
VIVM Comment. de rebus Imperii sub Henrico IV. et V. p. 2. seq.
STRUVII corpus hist. Germ. Per. VI. Sect. III. §. 3.
- 2) MASCOVIUS. l.c. p. 3. 4. *Chron. Augustens. ad Annos MLVIII.*
et *MLIX.*

§. VI.

Ast vix compositis imperii rebus domesticis, novae ex Italia turbae optimam imperatricem infestabant. Constituerat ipsa regni Italici Cancellarium atque Administratorem, *Guibertum* Parmensem, (1) Italis, Romanis in primis, ingratum, quod forte Imperatoris partes strenue tuebatur. Apparuit id praeferitum cum post *Nicolai II.* Pont. M. obitum, novum Romanae Ecclesiae caput prae ficeretur. Totam hanc rem paulo altius repetere, non inutile erit iniucundumve. Monuimus supra (2) Imperatori *Henrico III* fidem dedisse Romanos, quod nunquam sine ipsius successorumque consensu pontificem forent electuri. Ipso usu firmata erat haec Romanorum missio, cum A. XXXXXVIII, *Boppo* Episcop. Brixensis, ab Imperatore pontifex sub *Damasi II.* nomine designaretur, (3) Pariter post hujus obitum anno sequente imperator papam constituerat *Brunonem* Episcopum Tolosanum, sub *Leonis IX* nomine ecclesiae praesidentem (4). Nec minus, mortuo *Leone*, *Gebhardum*, Eistetensem Episcopum, qui sub *Victoris II.* nomine ecclesiam rexerat, in concilio Moguntino A. MLIII. Romanis papam dederat, (5) Evidem primo statim, quo *Agnes* imperii tutelam suscepserat anno, inconsulta ipsa, Romani *Stephanum IX.* pontificem creaverant, ast ipso mortuo et Pseudopapa *Benedicto*



nedicto solium papale vi appetente armisquē (6) tandem
 romanae ecclesiae proceres officii sui memores, successo-
 rem Papam ab *Agnete* filii nomine imperante, sibi pete-
 bant, *Gerardum* Episcopum Senensem, post *Nicolaum II.*
 dictum, obtinentes (7). Verum enim vero obliti mox
 et prioris, iuramento confirmatae, et nuperae promissio-
 nis Romani, *Nicolao*, qui confirmaverat Imperatoris circa
 electionem Pontificis iura, (8) mortuo, omnem in eli-
 gendo pontifice potestatem Romanorum imperatori sur-
 ripere audebant. Qui ab imperatoris partibus stabant
 principes itali, Basileae statim concilium instituentes, Ga-
 leriae comitem ad regem mittere decernebant, pontificem
 ab eo expetiturum. Purpurati Romani, idem comperti,
 pariter, diverso tamen plane fine, *Stephanum*, Cluniacen-
 sem Cardinalem eodem ablegabant. (9) Iuri suo et im-
 perii quoque id adversari prudens perspiciebat *Agnes*,
 non admissum *Stephanum*, purpuratorum legatum, dimit-
 tebat. Romani vero gentium ius sic violari clamantes,
 electione Pontificis statim instituta, *Anselmum*, Lucensem
 Episcopum, qui *Alexander II.* audit, nominabant, eo pree-
 cipue moti, quod imperatori gratum eundem futurum
 opinabantur, ipsi quippe familiarem, atque in aula impe-
 ratoris perpetuo versatum (10). Quo electo imperatoris
 aulam, qui rem omnem exponeret, nuntium mittebant,
 non omnino gratiose receptum, cum imperatrix statim
 ejusque aulici de iniuria Imperatori illata conquererentur.
 Et ne quid de iure suo detrahi pateretur Imperator, a
 matre tutrice (11) statim *Cadolaus* f. *Cadolus* Parmensium
 episcopus Romanae ecclesiae praeful constituebatur, qui
Honorii II. nomen assumfit. Tuebatur equidem sic fortiter
Agnes imperii circa electionem Pontificis maximi iura,
 ast parum felici successu. Neque enim *Cadolaus*, a Gui-
 berto

berto Parmensi Italiae Cancellario licet copiis armisque suffultus, sedis apostolicae culmen ascendere valuit, donec, deiecta ab imperio Agneta, in Concilio Osboriensi, anno sequente, praemissa prolixa disputatione publice exauditoraretur (12).

- 1) AENEAS SYLVIVS in Decades Blondi Lib. III. opp. p. m.
204. Agnes Henrici tertii (quod quartum hunc Henricum pontificiae autoritatis defensores, tertium numerent, et quare idem fiat aliunde notum est;) mater Guibertum Parmensem nobilem, clericum regni Italici Administratorem instituit. Car. Sigonius de regno Italiae Lib. IX. ad ann. M L VI. Gibertus Corrigia parmensis pravi, ut post apparuit, ingenii homo, legatus Italiae est praefectus.
- 2) ad §. 3. nota 3.
- 3) Lambertus Schaffnab. ad Ann. 1048. Imperator natalem Domini, Polterhae celebravit. Ibi legati aderant Romanorum, Svidgeri papae obitum nunciantes eique successorem postulantes, quibus Imperator Bopponem Prisnensem Episcopum affignavit. BARONIVS Tom. XI. ad h. ann. Collectio conciliorum Regia. Tom. XXV. p 416. Natalis Alexander Tom. VI. p. 404.
- 4) Lambertus Schaffnab. ad Ann. 1049. Imperator natalem Domini Frisingae celebravit. Ibi iterum legati romanorum, Bopponis papae morte nunciata, rectorem romanae ecclesiae postulabant, quibus Imperator Brunonem Totosae Episcopum dedit. BARONIVS I. c. ad h. a. Collectio conciliorum. I. c. p. 417. NATALIS ALEXANDER. ib. p. 405.
- 5) Lamb. Schaffn. ad a. 1054. Imperator interpellatur a Romanis ut antistitem sedi apostolicae provideret, Gebhardum Eistadensem episcopum misit. Add. BARONIVS I. c. ad h. a. Coll. Concil. I. c. p. 565. NATALIS ALEXANDER. I. c. p. 408.
- 6) Lamb. Schaffnab. ad a. 1058. Coll. Concil. regia Tom. XXV. p. 576. BARONIVS ad a. 1058.
- 7) Lambertus Schaffn. ad a. 1059. Romani principes satisfactionem ad

ad regemmittunt, se scilicet fidem, quam patri dixissent, filio quoad possent servatueros, eoque animo vacanti Romanae ecclesiae pontificem usque ad id tempus non subrogasse, eius magis super hoc experitare sententiam, orantque sedulo, ut quem ipse velit, transmittatisnihil eius ordinationi obstat, si quis non per legitimae electionis ostium sed aliunde ascenderet in ovile ovium. Rex habita cum pri moribus deliberatione Gerardum Florentinum, Episcopum (in quem et Romanorum et Teutonicorum, studia consenserant) Pontificem designat, Romamque per Godofridum Marchionem transmittit. BARONIVS ad h. a. Collect. Conc. regia l. c. p. 579. NATALIS ALEXANDER l. c. p. 409.

- 8) Vid. Decretum Nicolai Distinct. XXIII. c. 1. §. 4.
- 9) Non diffitentur idem ipsi Pontificii Scriptores, ex quibus NATALEM ALEXANDRVM allegare luet, l. c. p. 412, ita sribentem: Legationem ad Henricum Germaniae Regem adhuc puerum decreverunt, quam Stephano Cardinali, presbytero ex monasterio Cluniacensi adsumto imposuere, ut pseudosynodum edito regio irritam dici obtineret, eligendique pontificis libertatem Cardinalibus impetraret.
- 10) Vid. BARONIVS l. c. ad a. 1061 Coll. Conc. regia l. c. p. 599. NATALIS ALEXANDER l. c. p. 412.
- 11) ÆNEAS SYLVIUS p. m. 205 dissentiente Agneta id factum esse, sine tamen teste, perhibet, scribens: Longobardi episcopi Guiberto parmense admidente congregati ab Henrico Imperatore obtinuerunt, dissentiente Agneta, ut papam eligerent. Illi coacto concilio Cadolum parmensem in antipapam elegerunt, cui Longobardi omnes obedire præter Mathildim et virum eius etc.
- 12) Bertholdus Constant. app. ad Herm. Contr. ed. ab VRTSISIO ad a. 1061 Otto Frisingen. Lib. VI. Cap. XXXIII. Lamb. Schaffn. ad a. 1064 BENZONIS Carmen panegyr. in Henr. III. Imp. editum a MENCKENIO T. I. Libro II. Cap. IV. VIII. sqq. CORNERI Chron. Parte II. de Alessandro II. Papa CXXII. BARONIVS ad a. 1061 NATALIS ALEXANDER l. c. p. 412. Prae-

Praesertim hic videri meretur *Coll. Concil. regia* Tomo XXV.
pag. 599. quae habitam in Concilio Osboriensi, Anno-
nis Colonensis archiepiscopi autoritate congregato, in-
ter advocationem regis et defensorem romanae ecclesiae di-
sputationem, integrum exhibit, (cuius autorem PETRVM
DAMIANUM quidam recentiores nominant) si non effi-
ctam recentiori aevo, certe sophisticis fraudibus pro eccle-
sia, et debilis ingenii lusibus pro imperatore pugnantibus,
refertam. Condemnabatur tandem Cadolaus gravi senten-
tia, cui in codice adscripti sequentes versus:

Vltio divina, populi Cadolae ruina,
Te manet ut dirum medium transverberet iclu
Altipetax Simonem sequeris Simon astra petentem?
Te quoque Tartareus simul absorbebit hiatus.

Neque tamen Cadolaus quieti se dedit, verum biennio
praeterlaps⁹ novas in ecclesia excitavit turbas, denuo
propterea in Concilio Mantuan⁹ condemnatus.

§. VII.

Altera non minoris momenti res ab *Agneta* suscep-
pta feliciterque gesta, regimen est, quod in Bavariam ipsa
exercuit. *Conradus* namque, qui ab *Henrico III.* Bavariae
ducatum receperat, rebellis, in solenni Martisburgi insti-
tuto principum iudicio, ducatu privabatur (1) neque,
licet Hungarorum auxilio adjutus denuo tumultus excita-
ret, contra Imperatoris vim efficere quidquam valebat.
(2). Vacuum ita principe Ducatum, filio suo minori,
Conrado, destinasse imperatorem, *Auentinus* tradit; (3)
plurimi vero cessisse eundem *Agneti* perhibent. Ast nec
in ratione, qua *Agnes* ducatum obtinuerit, nec quo anno
idem evenerit, omnes conspirant (4) prout et a nonnul-
lis,

C



lis, Henrico IV, imperatori ducatum hunc a patre concessum esse, narratur (5). Tandem, postquam Bavariae vel quadriennium (6) vel septennium praefuerat Agnes, (7) Ottoni Saxoni, principi multum laudato, tradidit, quod nisi tutrix imperii egerit, quomodo regni germanici LL. conveniat, Doctores Iuris publici videant. Non tamen perpetuum Ottonis hoc regimen fuit, quippe ab Henrico IV. imperatore exauktorati, ducatu Welfoni Svevo cedente (8).

- 1) Hermannus Contr. ad an. 1053 Marianus Scotus ad. an. 1054 AVENTINVS Ann Bojor. L. V. p. m, 329 Imperator hybernatum in Boiariam proficiscitur, Conradum hostem indicat, caeterae multititudini diem statuit - - Bona Conradi publicata confiscataque sunt. Add. excerpta ex VITI ARENPECKE Chron. Bajoariorum in LEIBNITII Tom. III, p. 660.
- 2) vid. AVENTINVS I. c. p. 330.
- 3) I. c. p. 331.
- 4) AVENTINVS I. c. p. 331 a filio Henrico accepisse illum Agnetem habet. Boiariae regnum Augustae, quae se gravidam esse filium parituram ominabatur, filio traditur, et quoad id retinere velit, portetas eidem datur. Ipsa illud quatuor annos administravit. Docemur his simul A. MLVII. id factum esse. Eundem annum MLVII. tradunt MARIANUS SCOTUS ad h. a. Annales Hildesheimens. in LEIBNITII Tom. I. p. 731. Ad annum MLVI. refert. LAMB. SCHAFFNAB. qui ita: Conradus filius Imperatoris dux Baioarie obiit. Ducatum eius Imperator imperiali dedit, privato iure, quoad veller, possidendam. Alii ad annum MLVIII. Chronicon Steiderburgense in LEIBNITII Tom. I. pag. 852. Chron. Australis ed. a FREHERO. Datum hunc Dueatum fuisse Agneti in dictum ENGELHU IUS in vita Henrici IV. in Leibnitii Tom. II. pag 1088 habet. Vitus Arenpeck vero I. c. ita. Imperator autoritate imperiali uxori suae Agneti Imperatrici - - Ducatum Noricum donavit.

¶ Herm



15

- 5) Herm. *Contractus*, post. an. 1053. *Imperator vero in Baioariam veniens, Ducatum eiusdem provinciae filio suo aequivoce tradidit.* Chronica Augustensis, edita a FREHERO ad a 1053. *Imperator filium Heinricum regem, electum Ducem Boiarie praefecit;* quin IOSEPHUS BARRE Henrico IV. a patre Ducatum possidendum, simulque ei Gebhardum episcopum Eistaedensem, tutorem datum fuisse perhibet l. c. pag. 806.
- 6) AVENTINUS. L. V. p. m. 333. *Augusta ducatum Boiariae, quem haetenus quatuor annos administrarat Ottoni ex Saxonia clarissimis natalibus oriundo, viro tum civili prudentia militarique disciplina inclito, in fidem commendat.*
- 7) ARENPECKI excerpta in *Leibnitii Tom. III.* pag. 660. *Agnes imperatrix Ducatum Baioariae, uberi pace septennio gubernavit.* Ad annum MLXI. refert LAMB. SCHAFFNAB scribens: *Imperatis ducatum Baioariae, quem post mortem Conradi filii sui usque ad id tempus per se ipsam administraverat, Ottone dedit, videntis eum virum industria et iuvandis regni negotiis satis opportunum.* Errat, qui ad. an. 1068. hoc refert HERM. CORNERUS in *ECCARDI Tom. II.* pag. 605.
- 8) ENGELHUSIUS in *LEIBNITII Tom. II.* pag. 605.

§. VIII.

Sunt minoris quaedam momenti, quorum scriptores meminerunt, ab Agnete, Imperii tutore gesta, ex quibus strictim hic commemoramus, quod A. MLIX. invasores, nescio quos, Augustae vindelicorum ad pactiōnem compulerit; (1) quod A. MLXI. Halberstadii magnis solennitatibus festum omnium sanctorum diem in consortio multorum principum celebraverit; (2) quod multa sub eius tutela ecclesiis bona sint collata; quod ipsa Lismonam Bremensi Archi - episcopo ADALBERTO vendiderit, (3) aliaque.

C 2

1) Chron.



- 1) Chron. Augustens. ed. a FREHERO ad h. a. *Regina cum puerō rege in festo omnium sanctorum Augustam veniens, invasores Augustaē ad pationem compulit.*
- 2) Chron. Halberstadiense in LEIBNITII Tom. II. pag. 125.
- 3) ADAM. BREMENS. ed. a. Lindenbrogio. L. IV. cap. IV. *Diu desiderata in ditionem Ecclesiae Lismona venit, quae cortis, ut aiunt, septingentos mansos habere videtur, et maritimas Hathe-loe regiones in ditione possedit. Pro qua firmiter ex omni parte solvenda fertur Archiepiscopus Agneti Reginae dedisse novem libras auri, quoniam haec in partem suae dotis commemorabatur. CRANTZIUS Metrop. L. IV. cap. XLI. Lismona, quae hacenus fuit imperialis, venit in ditionem ecclesiae, quae cortis 700. mansos habet, : et maritimos Hadaleriae regiones possidet, pro qua solvenda Archiepiscopus AGNETI REGINAE dedit 9 libras auri, quoniam ea in partem eius ditionis cessit.*

§. IX.

Non omnino nullius pretii labor erit, si accuratius paulo formam imperii, rationemque, qua rexit illud Agnes, intueamur. Evidem incuria medii aevi scriptorum vix certi quidquam hic statuere permittit; et vel omni eius rei notitia destitueremur, nisi diplomata, rarius licet servata, quandam in detegenda ista lucem nobis affunderent. Id ex iis patet, cuncta imperatoris filii nomine gesta esse, publiceque consignatas, quot nobis innutere scripturas, eius elogium prae se ferre. At non omnis ex iis Agnetis memoria exulat. Testantur id formulae, tunc solennes sequentes: *ob interventum dilectae matris nostrae Agnetis, Imperatricis Augustae* (1) *vel: consiliente et precante dilectissima matre nostra Agneta, Imperatricie augusta etc.* (2) *vel: ob interventum atque petitio-*
nen Agnetis dilectissimae genitricis nostrae, imperatricis Au-
gustae

guſtæ etc. : (3) Quae expressa *Agnetis* mentio, partici-
pem eam regiminis fuisse, eo magis probat, quod in Di-
plomatibus, post tutelam ereptam consignatis illa non re-
peritur (4). Praeterea et quandam ministrorum *Agnetis* et
Henrici huc referendorum memoriam inde petere licet,
dum A. MLVIII. GVNTHONERII s. WVNTHERII Prae-
positi Goslariensis, tanquam *Cancellarii*, et LEOPOLDI,
Archicappellani (5) GEBEHARDI, *Cancellariet LVIT-*
BOLDI Archicancellarii, (6) anno vero MLXII. FRI-
DERICI *Cancellarii*, SIGIFRIDI *Archicancellarii*, et
BENNONS *Capellani*, mentio habetur (7). Iun-
gimus, quam tenera admodum *Henrici* aetas requirebat,
eius pedissequam, IMMEN. pro cuius anima donatio
praepositurae ad s. Hypolitum facta. (8)

- 1) Dipl. de a. 1057. quo Comitatus in pagis *Hunesga* et *Fivil-*
ga ecclesiae Hamburgensi donatur, cum insignibus emo-
lumentis, inter privilegia Hamburgensia, edita a LIN-
DENBROGIO l. c.
- 2) Dipl. de a. 1058. quo Monasterio Mindensi praedium *Zosa*
donatur in *Chron. Episcop. Mindensium* ed. a. PISTORIO.
n. XX.
- 3) Dipl. de a 1058. quo praedium donatur praepositurae ad
s. Hypolitum in Austria. in a LUDEWIG Reliq. Mſtorum.
Tom. IV. pag 241. Eandem formulam habes in diplo-
mate, de a. 1062, quo ecclesiae collegiate montis s. Petri
Goslariensi praedium confertur, in HEINECII *Antiq.*
Goslar, Lib I. pag. 69.
- 4) Vide talia in HEINECII libro cit. in *Chron. Episc. Min-*
dens. citato et plura Adalberto Hamburgensi Archiepif-
copo data apud LINDENBROGIUM. l. c.
- 5) in *Chron. Episc. Mindens.* N. XX.
- 6) apud a LUDEWIG. l. c.



7) apud HEINECIUM. I. c. pag. 69.

8) apud a LUDEWIG. I. c.

§. X.

His atque eiusmodi aliis praestantissimis factis Agnes Augusta imperii imperatorumque summam autoritatem stabilivit, regni salutem pacemque, cordi sibi habens curaeque eandem auxit et in educando recteque regimen olim suscepturo filio praeparando, nil quidquam commisit, vel fieri passa fuit, quod nomini ipsius maculam inureret. Laudibus hinc atque encomiis summis prosequuti eandem sunt eius aevi scriptores potiores (1) quamquam et nonnullis male audiat (2). Verum horum iudiciis vix subscribere audemus, quae quippe ipsis rebus ab Agnete gloriose gestis parum convenient, et clericorum sunt, imperatrici ob turbatam papalem sedem inimicorum, hinc a partium studio non satis liberorum.

- 1) Lamb. Schaffnab. ad ann. 1056. *summa rerum et omnium, quibus facta opus erat, administratio, penes imperatricem remansit, quae tanta arte periclitantis reipublicae statum tutata est, ut nihil in ea tumultus, nihil similitatis tantae rei novitas generaret. Gottfridus Viterbiensis. in vita Henrici IV. Henrici sub custodia matris suae Agnetis imperatricis fuit, quae aliquanto tempore prudenter imperium rexit. Consentient Otto Friesingenfis C. XXXIII. Author vitae Henrici IV. ed ab URSTISIO ita: beatum regni statum Agnes imperatrix serenissima, virilis ingenii foemina, multum invita, quae una cum filio rempublicam pari iure gubernavit.*
- 2) M. ADAMI Hist. eccles. cap. 151. *Ad gubernacula regni mulier cum pueru, magno imperii praefuit detimento.*

§. XI.

Per integros sex annos ita vastum imperium R. G. rexerat, Augusta, et in educando filio curam omnem

omnem posuerat solicitudinemque, cum spe opinione que citius tutela dejectam filioque ipso privatam se sentiret. Contigit facinus, quod temeritatis audaciaeque plenum omnino vocandum, A. MLXII. (1) dignum certe, quod majori studio operaque ad posteros transmittatur, quam quidem a scriptoribus huius rei omnibus factum deprehendimus. Neque enim in enarrandis causis, cur tutelam Agnetis fastidiverint principes germanorum, convenient, neque qua ratione id peractum sit, vel conspirant, vel prolixo satis omnes inveniuntur. Praevia principum imperii deliberatione adhibitisque praesertim *Eberti* Marchionis Saxoniae et *Ottonis* ducis Bavariae consiliis, iisque adminiculantibus, id egisse *Annonem Coloniensem episcopum*, testantur *Lambertus Schaffnaburgensis*, (2) *Sigebertus Gemblacensis* (3) *Hermannus Corerus* (4) *continuator Herm. Contradi* (5) et alii, qui integrum simul historiam exhibit. Atque Annoni facinus hoc communī fere ore tribuunt historiarum scriptores. At vero in causis Episcopum ad id impellantibus mirum quantum dissentunt. Sunt qui germanorum antiquum illud libertatis studium atque regiminis muliebris impatientiam obtendunt, (6) quod tamen non obscure negat *Autor vitae Henrici IV*, editus ab *Ursilio* (7). Alii inobedientiam imperatoris, quodque is dicto matri audiens haud exstiterit, allegant. (8) Alii non dignam in educando filio curam adhibuisse Agnetem perhibent, (9) aliis contrarium tuentibus, quos jam adduximus. Non nulli summam illam quo apud Augustam imperatricem *Henricus Episcopus Augustanus* valuit, autoritatem, offendisse principes contendunt (10). Non equidem negare audiemus zelotypia quadam abripi se *Annonem* passum fuisse, quod ipse sanctitatis gloria adeo cluens ab Henrico autoritate



tate superaretur. Verum nec solam hanc causam facinori huic ansam praebuisse, nisi fallimur, facile iudicamus.

- 1) *Chronica Australis ad h. a. Chronica Augustensis ad h. a. edita utraque a FREHERO Continuator Hermanni Contracti ed. ab URSTISIO Tom. I. Siebertus Gemblacensis ed. a PISTORIO Tom. I. rev. germ.*
- 2) *Ad ann. MLXII. Principes indignitatem rei non ferentes crebra conventicula facere, circa publicas functiones remissus agere, adversus imperatricem popularium animos sollicitare, postremo omnibus modis niti, ut a matre puerum distraherent, et regni administrationem in se transferrent. Ad ultimum Coloniensis Episcopus, communicatis cum Ecberto Comite et cum Ottone Duce Bavariorum consiliis, navigio per Rhenum ad locum, qui dicitur S. Suidberti insula, (quam hodie Werdam Caesaris appellari statuant,) venit. Ibi tum rex erat, qui dum quadam die post solennes epulas factus fuissest hilarior, bortari eum episcopus coepit ut navem quandam suam, quam ad hoc ipsum miro opere instruxerat, spectatum procederet. Facile hoc persuasit pueri simplici, et nihil minus quam insidias suspicanti. Cumque navim ingressus fuissest stipantibus eum his, quos Episcopus factionis sue socios ac ministros paraverat, repente remiges insurgunt, remis incumbunt, navim dicto citius in medium fluminis impellunt. Rex nova rerum facie confusus, incertusque animi, nec aliud quam vim et necem sibi paratum arbitratus, in flumen se praecepitem dedit: citiusque eum aqua violentior suffocasset, nisi Ecbertus comes dato post eum saltu periclitantem, ipse quoque non minimum periclitatus, vix et aegre morti eriperet, et navi restitueret. Exin blanditiis quibus poterant delinitum Coloniam perducunt, caetera multitudine per terram subsequitur, criminibus plurimis, quod regia maiestas violata sive impos facta foret. Idem refert HEINEC- CIUS Antiq. Goslar p. 70. et 71. et LEHMANNUS im Speierschen Chronic Lib. V. cap. 26. nisi quod hic fine teste raptum hunc Spirae evenisse affirmet. Conf. quoque de loco SCHUBARTUS Diff. de Henrico IV, turbatae reipubl. exem.*

exemplo. p. 10. cuius coniecturam iuvant quae habet *Contin.* *Herm. Contr.* apud URSTISIUM ad h. a qui ita: *Henricus Rex apud Traiectum Friesiae urbem, diem paschae cum matre imperatrice egit, quibus mox sequentia subiungit.*

- 3) in PISTORII Tom. I. p. 600.
- 4) in ECCARDI Tomo II. p. 598.
- 5) ed. ab URSTISIO T. I. *His diebus Hanno Agrippinae Coloniae Archiepiscopus admittentibus quibusdam regni principibus Henricum Regem cum lancea et aliis imperii insignibus a matre imperatrice vi eripuit, secumque coloniam adduxit.*
- 6) Sigebertus Gemblac. ad h. a. *Anno episcopus Colonensis consilio primorum regni indigne ferentium, per Agnetem matrem Imperatoris Henrici non viriliter gubernari puerum, violenter et industrie captum sub tutela sua accepit, et imperii regimen a matre eius amovit.* M. ADAMI Hist. eccles. C. 151. *Indignantes principes aut muliebri potestate constringi aut infantuli ditione regi, primo quidem communiter vindicarunt se in pristinam libertatem us non servirent, deinde etc.*
- 7) *Nec legis metus ullus erat, quae sub rege parvulo parvam autoritatem habebat et ut omnia licentius facere possent, primo puerum matre spoliabant, cuius maturam sapientiam gravesque mores metuebant, illud NB. causantes, non decere regnum administrari a foemina, cum multae reginae legantur administrasse virili sapientia.*
- 8) BRUNO de bello Saxonico ed. a FREHERO; *Sed cum procedente temporis cursu puer aetate quidem sed non sapientia vel apud Deum, vel apud homines proficeret, matrisque monita regio fastu tumidus iam minus audiret, Anno Colon. praeful venerans eum violenter matri eripuit.*
- 9) CERON. Laurishamense ed. a FREHERO: *Quem Anno Colonensis Archiepiscopus vir in Dei rebus spectatissimus et inter ecclesiae regnique principes incomparabilis et nominis et meriti, dolens amare materno quidem affectu, sed non regaliter enutririri, habito quorundam principium consilio eum a matris imperio rapuit.*



10) *Contin. Herm. Contr. ed ab URSTISIO.* Eodem tempore Henricus Augustensis episcopus apud imperatricem summum consilii locum habuit, quod nonnullis regni principibus eius insolentiam non ferentibus, multum displacebat. Lamb. Schaffnab. ad ann. 1062. Imperatrix utebatur plurimum consilio Henrici Augustensis episcopi. Ea res principes graviter offendebat, videntes scilicet, quod propter unius privatum amorem sua, quae potissimum reipublicae valere debuerat autoritas, pene obliterate fuisse. etc. Add. CORNERI Chron. in ECCARDI Tomo II. pag. 558

§. XII.

Etenim, si dicendum, quod sentimus, *Annonem* totius facinoris principem autorem pronuntiamus, cumque nimia in sui ordinis homines propensione atque intensissimo in curiam papalem studio ductum fuisse, suspiciamur. Quo minus enim procerum imperii consensu factum illud fuisse, asseveremus, prohibet vel ipsa quo propositum suum *Anno exsecutus est*, ratio. Non enim adeo astute callideque eum agere oportuisset, si imperii autoritate consensuque, de quo nec satis praeterea constat, (1) suffultus idem peregisset. Neque invidiam aliorum ita incurrisset, vel publica ejus excusatione post patratum facinus opus fuisse, quam tamen summa cum diligentia eum instituisse, testimonia loquuntur (2). Sane, si quid recte iudicamus, omnibus his artibus non indiguisset *Anno*, imperii felicitatem suo promoturus ausu, vel principum imperii consensu consilioque agens; atque hinc facile inducimur, ut credamus, nimirum evehendi ecclesiasticorum dignitatem, atque imperatoris iuribus summaeque autoritati detrahendi studium, cui *Agnes* forti atque virili animo se opponebat, praecipue ad audendum hoc, quicquid est facinoris, ipsum impulisse. Atque non pa-

rum

rum idem per ea, quae hoc tempore evenerunt, confirmatur. *Agnes* namque tunc cum *Gundbario s. Gunthario*, Bambergensium Episcopo, lites publica vi magnoque armorum impetu alebat, (3) atque huic fuisse Annonem non omnino improbabile videtur. Praeterea, quantum *Alexandro II.* Papae contra *Cadolaum et Agnetem* adhaeserit *Anno*, concilium illud testatur Osboriense, de quo supra §. 6. Quae omnia Annonem haud satis a partium studio vindicant, neque sola pro imperii salute cura eundem du&ctum fuisse, affirmare sinunt. Fassique idem sine dubio fuissent ævi istius scriptores, nisi ipsos summa Annonis autoritas cohibuisset, aliis, licet obscure idem indicantibus (4).

- 1) Negare illum videtur GOTFRIDUS VITERBIENSIS Chron. p. XVII. scribens: *Filius consilio lascivantium a matre alienatus, per se coepit regnare.*
- 2) Lambertus Schaffnab. *Episcopus ut invidiam facti mitigaret, ne videlicet privatae gloriae potius quam communis commodi ratione haec admisisse wideretur, statuit: ut episcopus quilibet, in cuius dioecesi Rex tunc temporis moraretur, nequid detrimenti respublica pateretur, provideret, et caufis, quae ad regem delatae fuissent, potissimum responderet.* Add. Chron. Laurishamenſe ed. a FREHERO. AVENTINUS Lib. V.
- 3) Chron. Australis. ed. a FREHRO ad h. a. *Agnes et Gundbarius episc. praedas et incendia invicem exagitant.* Bertholdus Constantiens. ad HERM. CONTR. in URSTISHII T. I. ad h. a. *Magna dissensio facta inter imperatricem Agnetem et Gundarium Babenbergensem episcopum.*
- 4) Abbas Urspergenſis. ad ann. 1056. *Qua intentione hoc fecerit Anno, et qualiter divino iudicio placuerit, discernere non valemus. Multa tamen incomoda extunc orta ac deinceps aucta, certum tenemus. Nam perinde dissensiones in regno, ecclesiac perturbatio, iustitiae religionisque conculatio et cooperunt et permanent.*



§. XIII.

Et haec prima magnae illius imperii turbationis, secutique post infausti, quod gessit Henricus IV. regiminis, si non causa, certe tamen occasio fuit. Evidem Annonem in educatione regis sollicitum satis fuisse, atque quamdiu eo moderante res gerebantur, pacem in imperio cultam esse testantur scriptores (1). Non vero diurna fuit haec felicitas, postquam Adalberti Episcopi Bremensis consiliis Imperator se commisit, ipsi imperatori tandem funestis, de quibus, cum Henrici IV. historiam non adeo incultam spectent, plura hic a scopo nostro utpote aliena non adiicimus (2).

- 1) *Chronicon Laurishamense* editum a FREHERO. Tom. I. p. m. 77.
Rhythmus de S. Annone ed. ab OPITIO Cap. 37.

Vili felicliche diz riche alliz stunt
 Dū dis girithis plag der heirre gut.
 Dū her zo ci demi richi
 Den iungen Heinriche.

BRUNO *de bello saxonico*. Anno Coloniens. praeful venerandus eum violenter matri eripuit, eumque cum omni diligentia sicut debet imperatoriam prolem non tam regi quam regno prospiciens nutrire curavit etc.

- 2) Videri tamen possunt: *Bruno. de bello saxonico*. *Chron. Laurishamense* ed. a FREHERO. *Historia archiepiscoporum Bremensium* edita a LINDENBROGIO ad ann. MLXVIII. *Zamb. Schaffnab.* ad ann. 1064. HERM. CORNERUS *Chron. SCHUBARTUS. Diss. cit. aliquie.*

§. XIV.

Summum ex tam infausto inopinoque eventu moerorem sibi contrahens optima imperatrix mundanarum

rum statim rerum fastidio adeo correpta est, ut ne quidem in *Annonem* eiusque asseclas vindictam meditata fuerit, (1) religiosae potius vitae totam se tradens, (2) eandemque amplexa (3) in Fructuarensis monasterium se contulit, (4) ibique aliquot annos religiose vixisse dicitur (5).

- 1) Lamb. Schaffnab, ad ann. 1062. *Imperatrix nec filium sequi, nec iniurias suas iure gentium expostulare voluit, sed in propria receptione private deinceps aetatem agere proposuit.* Gottfridus Viterbiensis, de Henr. IV. *Imperatrix aspiciens iniquas rerum mutationes, cum fluctibus turbationis nollet involvi religiosam vitam elegit.*
- 2) Nescio qua autoritate nitantur, qui *Agnetem* post mariti obitum Welphoni, Duci Bavariae, nupsisse afferunt, ut GOBELINUS in *Cosmodromio*, aet. VI. Cap. 54. BOTHO, *Chron. piet.* in LEIBNITH Tom. III. ad ann. 1057. *Kayser Hinrik frigede syne moder Hertogen Wolpy den olden, et ad annum 1063. Duſe frulve, (Wichanda) de starffom, do nam he wedder Kayser Hinrikes Weddeven ghenomet Angenes, Kayser Hinrikes moder des veerden de starffom sunder arven.* Errant tamen, quod patet ex PETRI DAMIANI epistola ad *Agnetem nostram*, quam habet BARONIUS Annal. Tom XI. ad ann. 1062. ita scribentis: *Amifli regina virum, post quem dedicata es thalamos iterare, etc.*
- 3) Continuator Herm. Contr. apud Urstifsum ad a. 1062. *Agnes Imperatrix depositis regalibus vestimentis sacro velamine circundata.* Add. *Magnum Chron. Belgicum.* Gottfridus Viterbiensis, Otto Frisingensis, BARONIUS ad annum 1062.
- 4) Non statim post erectum sibi filium illuc migrasse Agnetem, quorundam autoritate affirmatur. Lambertus Schaffnab. ad ann. 1062. *Nec multo post triedium passa aerumnarum seculi, domesticis quoque eructa calamitatibus - - cogitavit seculo renunciare statimque ad explendum quod cogitaverat, praeceps abisset nisi in ea impetum spiritus amici maturioribus consilis inhibuerit.*



buiſſent. Neque id a veritate alienum videtur. *Lambertus* namque ad ann. 1065. non obscure indicat, adhuc iſto tempore in Germania Augustam degiſſe, ubi ſua autoritate ſua- ſuque filium a malis *Annoni* meditatis retraxiſſe narrat, quod iſpiſi in imperio praefentiam non omnino non arguit, quam- quam *BARONIUS* ad ann. 1056, reverſam eſſe Agnetem in Germaniam, ſcribat. Ponunt alii annum MLXIX. ut *Aren- peckius* in *LEIBNITII* Tom. III. p. 660. et *Abbas Uſpergenſis*, quod tamen a veritate aberrare videtur.

5) *Henr. Bodo* in *MEIBOMII* script, Germ, T. II. pag. 503.

§. XV.

At non ſic quidem *Agnes* pietati ſuae ſe ſatisfieſſe opinabatur, quare reliquo monaſterio *Fructuarenſi* perrexit Romam, id quod A. MLXVI. factum eſſe non ſine ratione affirmatur (1). Quid eam ad hoc potiſſimum impulerit, ex *Anſelmo Lucenſi Baronius* narrat (2) quod quamquam negare, pro iſta temporum conditione haud velimus, non inprobabile tamen nobis videtur, odio ger- manae gentis, quae tanta iſpſam iniuria affecerat, du&etam Agnetem, et Aquitania patria iſpiſiū bello tum ardente, remotiora loca quaesiviffe, ibidemque vitam ducere ma- luiffe. Animae ſuae curam *Petro Damiano*, strenuo mo- rum cenzori, commiſſiſt, qui variis ad iſpſam datis litteris, vel confirmare ejus pietatem, vel consolari eandem de ad- versita fortuna, vel peregrinantem Romam revocare non intermisit, multaque praeterea in laudem iſpiſius dixit (3). Et per totam vitam ſuam ſummam erga *Gregori- um VII.* filio ſuo licet insidiante, devotionem fidemque ſervavit, (4) beneque de ecclesiis (5) Papaque mereri nunquam defiſit.

1) Nititur

- () ()
- 1) Nititur haec assertio autoritate Lamb. Schaffnab. quod ostendit BARONIVS ad ann. 1062. n. LXXXVIII.
 - 2) Ad ann. 1062. n. LXXXVII. Huius nefariae praeiunctioni Caudalii mater ipsius Agnes imperatrix interfuit, quae sancta Spiritus illustratione compuncta apud ipsum Papam Alexandrum confessio- nem postmodum fecit, poenitentiam accepit, huic prae caeteris in- iunctum est, quatenus Romae moraretur, ibique S. Petro vigiliis, orationibus, et ieiuniis satisfaceret ac prodeisset ecclesiae consiliis ac auxiliis, prout valeret.
 - 3) Vide eiusmodi insertas in BARONII Annal. Tom. XI. ad a. 1062. n. LXXXIX. ubi ingressum Augustae describit, et n. XCVI. ad propositam ipsi ab imperatrice quaestionem: num homini liceat inter ipsam debiti naturalis egeriem, aliquid ru- minare psalmorum? respondet. Ad ann. 1063. n. LXIII. et n. LXIX. Ad ann. 1065. n. LVIII.
 - 4) Laudat id BARONIVS ad a. 1076. n. XIX. Nec mater ipsa regis Agnes Augusta amore filii recessit a Gregorio Papa, sed illi inhaerens permanxit immobilis, usque ad extremum vitae spiritum. Vituperare tamen Gregorium ob idem videtur Siebertus Gemblacensis ad a. 1076. scribens: Gregorius Papa totus in Henricum imperatorem invehitur, et quoscunque potest, ab eo ver- bis et scriptis avertit, animum etiam Agnetis matris ab eo alienat.
 - 5) Testimonium huius rei omni exceptione maius dat coe- nobium Casinense, ubi sex fere menses A. MLXXXIII. redux ex Germania commorata est Agnes, cuique regia obtulit dona, recensita a Leonie Ostiensi in Chron. Casinensi L. III. C. XXX.
 - 6) Laudat propterea eam Gregorius VII. in Epistola, quam inseruit BARONIVS ad ann. 1074. n. VII.

§. XVI.

Neque tamen omnem imperii, filii, suorumque cu-
ram deposuisse videtur Agnes, quod vel duo testantur in-
signia documenta, ab ipsa, cum Romae viveret, edita ex-
hibita-



hibitaque. Bis enim in Germaniam rediit, suis imperio-
que succurrens atque felicitati publicae inservitura. A.
nempe MLXXII. cum Rudolphum Sveiae Ducem, po-
stea Anticaesarem, Henricus filius odio persequeretur, in
suspicionem rebellionis apud ipsum venientem, in Germa-
niā remeavit, compositisque his dissidiis, Romanā re-
diit (1). Altera vice A. MLXXIII. Germaniam repetit,
missa cum aliis a Gregorio VII. Papa solenni legatione ad
Henricum Imperatorem directa, quae ab ipso episcopisque
peteret, ut papae synodum intra Gallias, (quo nomine
Germaniam hic indigitare *Lamb. Schaffnab.* ex verbis ip-
sius facile patet) congregare liceret (2). Abnuit equidem
petitis Imperator, iuribus Archiepiscopi Bremensis ac Mo-
guntini nil quidquam detracturus; ast matri tamen
in eo obtemperavit, quod lites ipsum inter et papam ob-
ortas componere promitteret, (3) licet aliorum consiliis
post a proposito abstractus (4).

- 1) Lambertus Schaffnab. ad ann. 1072. *Rex in natalem S. Ia-
cobi Wormatiae occurrit matri suae Agneti imperatrici, de trans-
alpinis partibus redeunti, ubi sex aut eo amplius annos iam demo-
rata fuerat, sub nimia austernitate vitam instituens, adeo ut commu-
nem humanarum virium mensuram excederet, ieiuniorum ac vigi-
liarum patientia. Reversionis autem eius haec causa erat - - -
Imperatrix quanquam cuncta seculi negotia religionis obtentu in
perpetuum abiurasset, nec a proposito tamen suo abhorre, nec ab
ecclesiastica functione alienum fore iudicavit, si viro optime erga se
merito in angustis rebus open ferret et filio iuveniliter tumultuanti
modum imponeret. Venit itaque Wormatiam amplissimo stipata nu-
mero abbatum et Monachorum et praedictum ducem, cum interposita
fide Coloniensis et Moguntini archiepiscoporum coram venisset, omni
criminis suspicione absolvit, statimque compositis propter quae vene-
rat, a filio abscessit, ut non tam carnali affectione, quam communis
commodi ratione ad hanc secularis negotii administrationem se ad-
ductam liquido cunctis patesceret.*

2) *Lamb.*

- 2) Lamb. Schaffnab. ad a. 1074. Rex celebrata in Babenberga pa-
schali solennitate, Nurnberg perrexit obviam legatis apostolicae se-
dis. Erant autem hi: mater eius imperatrix, episcopus Ostiensis,
episcopus Praeneftinus, episcopus Curiensis, episcopus Cumensis
missi a Rom. Pontif. componere, si possent multo iam tempore va-
cillantem statum Galliarum etc. Marianus Scotus ad h. a.
- 3) Testatur id ipse Papa Gregorius VII. litteris ad Agnetem et
Henricum Imp. datis, quas exhibet BARONIVS ad a. 1074
n. VI. et VII.
- 4) Alia adhuc vice a Papa ad filium missam esse, ex Pauli Ben-
riedensis vita Gregorii VH allegat NATALIS ALEXANDER
Hist. eccl. Sec. XI. et XII. Diff. II. Art. II. neque tamen tem-
pus huius peregrinationis ille indicat, neque eius in aliis
scriptoribus mentio habetur.

§. XVII.

Quae summa in Romanam ecclesiam eiusque ca-
put fide, bonis operibus, vitaeque sanctimonia reliquam
omnem vitam consumxit Agnes, tandem A. MLXXVII. Ro-
mae eandem finiebat (1), foemina, si quae unquam alia,
ecclesiasticorum hominum fraudibus circumventa dece-
ptaque, immo ad egestatem denique redacta, suorumque
contemptui obnoxia (2). Sepeliri eandem in basilica S. Pe-
tri apud S. Petronillam iussit Gregorius VII., qui monu-
mento simul eius memoriam commendavit (3).

- 1) Rerholdus Constant. ad h. a. Agnes religiosissima imperatrix iam
X. annos in viduitate Deo devotissime serviens, nec filio suo Hein-
rico contra apostolicam sedem in aliquo consentivit Romae requi-
evit in pace, sepulta in ecclesia Sanctae Petronellae. Consentit
Chron. Stederburgense in MEIBOMIORVM Tom. I. p. 453
Arenpeckii excerpta in Leibnitii Tom. III. p. 660 Annales
Hildesheim. apud eundem Tom. I. p. 732. Chron. Riddagehus.
ap. eundem Tom. II. p. 76 Contra omnem scriptorum fi-
dem



dem annum MLXIX ponit *Historia archiepiscop. Bremen.*
ed. a LINDENEROGIO.

- 2) Consolatus Augustam propterea est *Petrus Damianus*, litteris quas exhibet BARONIVS ad. ann. 1063 n. LXIX.
- 3) Ad posteritatem illud transmisit VEGIUS, ita compositum :
*† Anno MLXXVII, ab incarnat. Dom. nostri Iesu Christi Indict. pri-
ma Anno quinto pontificatus Dom. Greg. papae septimi Agnes im-
peratrix Aug. post mortem viri sui Henrici Imp. II. Anno XXII
die XIV. mensis Decemb. animam bonis operibus secundam La-
teranis salvatori suo a que omnium bonorum Deo auctori reddidit.
Et hic ubi antea militaverat clavigero coeli pro cuius amore ibi-
dem peregrinata fuerat quinta die mensis Ianuarii expectans spem
beatae resurrectionis et adventum magni Dei membra carnis com-
mendavit in pace Amen. † Vid. BARONIVS ad ann. 1077 n. 79.*

§. XVIII.

Ex iis, quae latius adhuc disputata sunt, id omnino patere iudicamus, *Agnetem* multis maximisque et mentis et animi dotibus excelluisse, dignamque esse, quae posteritati omni sit commendata. In primis vero prudentia, qua susceptum regni moderamen gescit, virilis, qua tot ipsi imminentibus malis restitit, fortitudo, animus denique, et in adversis, constans erectusque ex tota ipsius vita eluent, ipsique praecones pepererunt et gravissimos et fide omnino dignissimos, quos adhuc large in testimonium vocavimus. Neque vero omnem famae suae adspersam labem effugere ipsi licuit. Nimium eam *Henricum Augustensem* episcopum incestuoseque amasse, suo jam aevo criminati sunt (I) qui violentiae filii erectioni sicut inducere nitebantur, iniustae causae suae sic praefidium quae- rentes. Ast nil quidquam historia eius habet quod suspicioni huic fidem faceret, Neque diutius his immorari libet cum moram

moram egregie fecerit, s. Rev. FLESSA, ad quem lectores ablegamus (2).

- 1) Lamb. Schaffnab. ad ann. 1062
- 2) *Fascicul. Commentat. historicarum et litterariorum no. III*, ubi data opera suspicionem in pudicitiae ab Agnete amovit.

§. XIX.

Deliberis, quos Agnes marito peperit, agendum deinde foret, nisi iam praestantium virorum labor industriam nostram praevertisset. (1) Genuit ipsa (I) *Mathildem*, A. **MXLIII**. *Rudolpho* Anticaesari nuptam, (II) *Iuditham* vel *Sophiam* A. **MXLVII**. *Salomoni* primum Hungaro, post *Uladislaos* Polono, in matrimonium datam (III) *Adelheidem*, Abbatissam Quedlinburgensem A. **MXLVIII**. (IV) *Henricum IV*. A. **ML**, gestantemque eum in utero somniaisse Agnetem, quod virulentum Draconem sit partura, monachorum istius temporis figmentum non immerito censetur. (2) (V) *Conradum* A. **MLII**, qui A. **MLVI**, obiit. Addit celebratissimus KOEHLERVS aliam filiam *Mechtilden*, nonnullique adhuc *Rubenzam*, non tamen fide scriptorum coeavorum, vel fatis probatorum.

- 1) *GVILLIMANNVS de stemmate Conradi Salici, in Perill. a SENCKENBERG Sel. Iur. et Histor. Tom. II. p. 244.* KOEHLERVS *Diff. de familia augusta Franconica pag. 51 sq.* LENTZIUS *Historisch genealogische Untersuchungen über die deutsche Reichshistorie §. 21.*
- 2) *Lepidae fabellae autor est, qui vitam Mathildis rythmo designavit.* L. I. c. 18.

F I N I S.

COROL-

COROLLARIA.

- I. De fine creationis mundi disputatio, inanis est. Vel enim in logomachiam desinit, vel disputatur de eo, quod omnem humanam cognitionem superat.
- II. Neque satis probatum est, finem mundi non esse posse aliquid Deo intrinsecum. Quid enim, si intuitus operum suorum Deo internus, pro fine creationis habeatur?
- III. Qui stimulis naturalibus convenienter vivere, iuri naturali convenienter vivere, pronuntiant, nimium indeterminate loquuntur. Inest propositioni aliquid veri, nimirum tamen involutum aequivocationibus.
- IV. Male hinc scientiae iuris naturalis consulunt, eiusmodi propositioni eandem superfluentes.
- V. Non omnino omnis autochiria iure naturae illicita pronuncianda est.
- VI. E. nec dici potest, iure naturae interno prohibitum esse, mortem sibi ipse consiscere.
- VII. Argumento, quo multi autochiriam impugnant, desumpto ab eo, quod Deus autor sit vitae hominum, non ipse homo, parum roboris inesse videtur.
- VIII. Jus dispensandi a lege, nemini nisi legislatori, vel eius superiori, competit.
- IX. E. magistratus inferior a LL. superioris dispensare nequit.
- X. Polygamiam omnem ad concubinatum referentes, durius iudicare videntur. Polygynia namque et sobolis procreationem et educationem pro fine habere potest.
- XI. Status servitutis perfectae et hominum priorum, praesertim originariorum, libertati naturali, hinc iuri naturae parum consentire videtur.
- XII. Ius aggratiandi maiestaticum quidem est, sed molestissimum.



AD

GENEROSSIMVM

DOMINVM RESPONDENTEM

EPISTOLA

P R A E S I D I S


Septem nunc effluxere SEMESTRIA VIR GENEROSISSIME cum PERILLVSTRIS AVVNCLVS TVVS, Dominus meus gratiosissimus, TE litteris doctrinaque imbuendum curae meae traderet, eoque, quam bene de me, praeter meum meritum, sentire et, testaretur. Non poenituisse PERILLVSTREM DOMINVM, capti huius consilii, vel ex eo, (liceat enim mihi de hoc paululum gloriari,) patuit, quod ab isto statim die consuetudine TVA perpetuo me frui, gratiose voluerit; neque molestum TIBI graveque accidisse, quod IS nos inter ita constituerat commercium, quem TV mihi quotidie exhibuisti favor, arctiorque, quam aliuimus, amicitia, satis probarunt; et mihi tandem gratissimum fuisse iucundissimumque mutuum istud vinculum, nunc plane sentio,

cum

cum rebus TVIS ita suadentibus, ex hac Academia, et
domo convictuque meo discedis. Qua omne istud tem-
pus ratione consumseris, quam in litterarum studiis dili-
gentiam adhibueris, quamque in formandis componen-
disque moribus sollicitum TE solerterisque praestiteris,
ego quidem longa oratione haud praedico, cum ipse met
et partae apud nos doctrinae, et generosae TVAE indo-
lis TE testem exhibeas omni exceptione maiorem. Ne-
que, quod aliqua TIBI a me contingere laus possit existi-
matiove, haec scribo, verum id unum ago, ut publica
scriptione TIBI mei meorumque recordationem, quam
fieri potest, diligentissime commendem, utque exstare
aliquod nostrae consuetudinis monumentum, efficiam.
Atque hoc eo facilius me obtenturum esse spero, cum
praesentia TVO adjungam operi, cuius, quod fieri solet,
aliquam nunquam non memoriam conservabis. Abi
iam bonis avibus *Vir Generosissime*, una cum GENERO-
SISSIMO FLOTOVIO, carissimo mihi capite, ad illu-
strem *Georgiam Augustam*, et auctus doctrina ornatus-
que, aliquando felix redi salvusque, PERILLVSTRIS
GENTIS TVAE splendorem amplificaturus, patriaeque
nostrae salutem egregia opera TVA promoturus. Vale,
et nunquam quaequo, omnem consuetudinis nostrae me-
moriam depone. Scrib. Rostochii, V. Id. Aprilis.

A R. S. cccclxxiii.





Ks 375 c




VD 18

ULB Halle
005 127 36X

3





Q. D. B. V.
RECTORE ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,
PRINCIPE HEREDE AC DVCE MECLENBURGI,
PRINCIPES VANDALORVM, SVERINI AC RACEEBVRGI, COMITE SVERINI,
TERRARVM ROSTOCHII ET STARGARDIAE DOMINO,
DOMINO LONGE CLEMENTISSIMO.

AGNETIS AVGVSTAE
HENRICI III. IMPERATORIS CONIVGIS,
HISTORIA,

IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI
PRAESIDE
ANGELIO IO. DAN. AEPINO

ORATOR. PROF. DVC. P. O.
IPSIS IDIBVS APRILIS
A. R. S. CLXXXCLIII.
PVBLICE PROPOSITA
AB
ERNESTO CHRISTIANO FRIDERICO A THOMSTORFF,
NOB. MECLENBURG.

ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERIANIS.

